



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Vt episcopus non diudicetur, qui suis rebus expoliatus. cxli.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

De eadem re. Cap. CXXXVIII.

*Ex episto. Eusebii papa, ca. 20.* **N**ecessesse enim est vt rectores à subditis timeantur, ab ipsisque corrigantur, vt humana formidine peccare metuant, qui diuina iudicia non formidant. Deteriores quippe sunt, qui doctorum vitam, moresque corrumpunt, his qui substantias aliorum prediaque diripiunt. Ipsi quidem ea quae extra nos licet nostra sint auferunt, nostri quoque detractores, & morum corruptores nostrorum, siue qui aduersum nos armantur, proprie nos ipsi decipiunt, & ideo iuste infames sunt, & merito ab Ecclesia extorres fiunt.

De eadem re. Cap. CXXXIX.

*Ex decre. Gaii papa, ca. 7.* **O**Ves verò quae pastori suo commissae fuerint, eum nec reprehendere, nisi à recta fide exorbitauerit, debent, nec vllatenus accusare possunt: quia facta pastorum eorum gladio ferienda non sunt, quanquam rectè reprehendenda videantur.

De infamatis & dilaceratis episcopis, & à ciuitatibus proprijs pulsis. Cap. CXL.

*Ex decre. Euarist. papa omnibus per Aegyptii fratribus missis, ca. 18.* **A**Vdiuimus enim quosdam à vobis infamatos & dilaceratos episcopos, à ciuitatibus proprijs pulsos, qui alibi episcopi constitui non possunt, nisi in ciuitatibus non minimis, & alios in eis, ipsis viuentibus, constitutos. Ideo haec vobis scribimus, vt sciatis hoc non licere, sed proprios reuocari, & integerrimè restitui debere. Illos verò qui adulterina fœditate suas sponfas, quas & vxores eorum praefixo tenore esse intelligimus, tenent, eiici vt adulteros, atque infames fieri, eosque ab ecclesiasticis honoribus arceri iubemus. Si autem aduersus eos aliquam querelam habueritis, his peractis inquirendum erit, & autoritate huius sanctae sedis terminandum.

Vt episcopus non diiudicetur qui suis rebus est expoliatus. Cap. CXLI.

*Ex decre. Felicis papa episco. per Aegyptii missis, ca. 10.* **N**Vllus enim episcopus qui suis est rebus expoliatus, aut à se de propria vi aut terrore pulsus, ante quam omnia sibi ablata legibus restituantur, & ipse pacificè annum vel plus suis fruatur honoribus, sedi que propriae sit regulariter restitutus, iuxta canonicam institutionem accusari, vocari, iudicari, aut damnari potest.